

The *Lucula noctis* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Philosophia x

Curat hic moralis Seneca dicens:
“Facere docet philosophia, non dicere;
et hec exigit ut ad legem suam quisque vivat,
ne orationi vita dissentiat,

ut verbis opera concordent.”

Lucula noctis, 42 (E. Hunt ed., p.359, ll.55-58).

Facere docet philosophia, non dicere;
et hoc exigit ut ad legem suam quisque uiuat,
ne orationi uita dissentiat,

ut uerbis opera concordent,
ut ipse ubique pars sibi idemque sit.

Obserua si uestis tua domusque
dissentiant, nunquid in te liberalis sis in tuos
sordidus, nunquid cenes frugaliter edifices
luxuriose; unam semel ad quam uiuas regulam
pretende, et ad hanc omnem uitam tuam exequa.
Quidam se domi contrahunt, dilatant foris et
extendunt.

Seneca epistola XX.

Manipulus florum, Philosophia x

Aliud propositum est declamantibus et adsensionem
coronae captantibus, aliud his qui iuuenum et
otiosorum aures disputatione varia aut volubili
detinent:

facere docet philosophia, non dicere,
et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat,
ne orationi vita dissentiat

vel ipsa inter se vita; <ut> unus sit omnium actio
[dissentio]num color [sit]. Maximum hoc est et
officium sapientiae et indicium,

ut verbis opera concordent,
ut ipse ubique par sibi idemque sit.

‘Quis hoc praestabit?’ Pauci, aliqui tamen. Est enim
difficile [hoc]; nec hoc dico, sapientem uno semper
iturum gradu, sed una via.

Obserua te itaque, numquid vestis tua domusque
dissentiant, numquid in te liberalis sis, in tuos
sordidus, numquid cenes frugaliter, aedifices
luxuriose; unam semel ad quam viuas regulam
prende et ad hanc omnem vitam tuam exaequa.
Quidam se domi contrahunt, dilatant foris et
extendunt:

vitium est haec diversitas et signum vacillantis
animi ac nondum habentis tenorem suum.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae
morales*, 20.2-3 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.53-4, ll.14-
24, 1-7).